

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XLVII. Appendix Ad Uit. Alberti III.

urn:nbn:de:bsz:31-102564

ardorqve ad gloriam maximus, ac in exeqvendis negotiis celeritas atqve vis inusitata, ut in eo et vivum Herois exemplum intueri, ortumqve felicissimae propaginis Albertinae colere atqve aestimare debeamus. Nam unus ipse Matthiae Vngariae regi fortissime restitit, et Friderico III. Austriam haereditariasqve regiones asseruit, ac bello Veneto Vngaricoqve Maximilianum adiuvit, illustratoqve ultra Alpes nomine, atqve Turcis etiam formidato, contra Gallos Belgio inhiantes arma cepit, Belgasqve, qui partes Austrias deseruerant, ad obsequium redegit, ruinasqve Austriae pariter et Germaniae manu consiliisqve suis fulcivit. Princeps omnino dignus, ut a Michaelae Boiemo victuris literarum monumentis illustraretur, atqve a me duntaxat exigua hac accessione laudis ornaretur, ut habeat non iniqua posteritas, quod perpetuis sermonibus celebret, quippe ad quam pertinet, ut suam cuique decus re- pendatur.

XLVII. APPENDIX AD VIT. ALBERTI III.

GERMANI prius bello, quam literis florere, et postquam his etiam ornare se atqve instruere coeperunt, non tamen omnes aequaliter, nec uno eodemqve tempore insigne hoc perpetuumqve ingenii decus sibi compararunt. Prisca enim illa gens, contenta rebus, quas ratio haudquaquam excultissima praescripserat, fre- taqve militarium exercitatione virtutum longissime a studiis sapientiae se- disiungebat, et multo ante rectis moribus honestaqve consuetudine, quam legibus utebatur. *Vid. Tacitus German. cap. 19. idem de Gotis dicitur apud Isidorum Chron. Goth. Era D IIII.* Postea sensim erudita est liberalibus artibus, et aeternum praepotensqve Numen religiose coluit, atqve summum pietatis industriaeque fructum cepit, quoad in ea doctrina disciplinaqve sanctissima perseveravit. (a) Ea vero laus primo duntaxat ad eos pertinuit, qui Cirshe-

(a) Irenaeus Polycarpi discipulus adversus haereses lib. 1. cap. 3. a quo memoratur *αἱ ἐν Γερμανία ἰδρυμέναι ἐκκλησίαι* (Ecclesiae in Germania constitutae) consentit Tertullianus, primus inter Latinos patres scriptor, qui cum Irenaeo ex II. seculo in III. initia se porrigit, libro adv. Iudaeos cap. 7. Non ea Germaniae nozione, qua magna sive trans-rhenana, quae tunc plane barbara fuit, et reconditas literas religionemque veram ignoravit, comprehenditur, sed qua figura quaedam loquendi tantum denotatur Germania Cirsbenana, Romanisqve obnoxia (unde et Germania Romana nominatur, ut a barbara, et qua trans-rhenum iacet, distingvatur) et ad Orientem sita, propter quam

^e *ausam* sequioribus temporibus coepit appellari regnum Orientale sive Austriae, non eius, quae Ungaris adhuc barbaris crepta, quaeque olim Ducatus Norici clientelaris fuit, Gottfrid. Viterbiens Chron. part. 17. pag. 471. Frisingens. Chron. lib. 6. cap. 15. Otto Sanblas. cap. 6. sed quae paulo nomine producta Austrasia alias, ac aetate Carolovingico regnum Lothariense dicta est, Otto Frising. chr. lib. 6. cap. 1. ex quo corrigenda est genealogia B. Arnulphi, cuius auctor a Lothario imperatore censet esse dictam. p. 220.

nanas Germaniae oras, quondam Galliae attributas, et Belgicam I. Rhaetiamque II. Norico finitimam incoluerunt, et animos ad arma pariter atque sacra promptos habuerunt. Haud facile quisquam dubitat, eorum numero fuisse Maguntiacenses, Argentoratenses, Vangiones, Nemetes, Vbios, Tungros, Treviros, partemque Alemannorum. (b) Serius enim Burgundiones, (c) postque hos Franci, ac transrhenani omnes ab ea caligine tenebrisque emerse-

(b) *Alemannos*, quos nullo certo loco habitasse, auctor est Gaspar Barthius, animad. in Gviel. Brit. lib. 1. 147. Arnobius, cum scriberet, contra gentes, affirmavit, institutos esse ad coelestem cultum, non universos singulos, de quibus id nemo ineptissime dixerit, sed qui in Galliae Belgicae solo ad sinistram Rheni ripam, ac Danubiura inter atque Lycum habitabant. Quo tempore Alemannos non desisse esse Germanos, fidem sane facit Fl. Vopiscus in Proculo. Sed quo auctore primo Germaniae allatum sit religionis lumen, nunc non inquiri, neque ignoro tamen, Crescentio et Materno id ferri acceptum, apud Gaspar. Bruschium de German. episcopat. Petrum Messaeum in Archiepiscop. Mog. et Colon. Chronicon Nussense a principio, Arnoldus Meshovius de orig. et progressu defect. Hermanni Archiep. Colon. De Treveris, apud quos Imperatorum Gracco-Romanorum domicilium et numaria officina fuit, vid. Iohannes Scheckmannus, atque ex eo Gviel. Kyriander comment. de Aug. Trevir. part. 3. Caetera antiquitas, et Germaniae Cisrhenanae Belgicaeque partitio, & cognitio populorum, qui illic soluerunt, repetenda est ex Amiano Marcellino, scriptore cordato, et versato in iis locis, hist. lib. 15. p. 100. edit. Boxh. Post quem Notitia Provinciarum Galliae in lucem exiit, quam non dubito Hieronymo esse lectam, argumento eruditatum de occupata a barbaris Gallia commentationum, quarum dum in mentem mihi venit, vel sola nunc sufficiat eius epistola II. Quod multum abest, quo minus de Irenaeo, Episcopo Lugdunensi dicam, cum illo aetate nondum extiterit Notitia, etsi summo viro Iosepho Scaligero videatur, eam iam tum aetate Augusti imperatoris Romanorum fuisse conscriptam. Tantum addo de Argentoratensibus, qui Germaniae I. finibus includuntur, medio aetate Strazburgenses, corrupte Argentinenses vocari. Vid. Annal. Pithecan. ann. 842. confer. itinerarium Antonini, quod merito laudat Ricciolus Geograph. p. 53. (dubitat autem sine causa de eius fide Petrus Divaeus Gall. Belg. T. 1. p. 357. 359.) et Notitia paulo ante allegata.

(c) Paulus Orosius hist. lib. 7. cap. 2. A quo in ratione temporum dissident Socrates, et supplementam historiae Eutropianae, quibus adiungatur, Cassiodorus Chron.

in Valentiniāno: inter recentiores Iohannes Gabriel Bisciola, ep. annal. Eccles. tom. 1. p. 482. Sed quemadmodum Burgundica Clothildis (aliis Chrotildis) studuerit Francos a superstitione ad verum Dei cultum revocare, praeclare explicavit Gregorius Turonensis, cuius antiquissima editio est Ascensiana, histor. lib. 2. cap. 30. Nam postquam Clothildis, Chilperici Burgundionum regis filia, Clodovaeo cognomine magni illustrato, tunc a Christianis ceremoniis alieno, ea lege nupsit, ut sua sibi sacra libere exercenda maritus permetteret, eum subinde monere coepit atque obsecrare, uti susciperet partes ac religionem suam: cuius moniti dum praelium cum Alemannis commissurus opportune recordatur, in summo pugnae discrimine rex voto se obstrinxit amplectendae religionis Christianae, si prospere caderet consilium, victoriamque obtineret. Quod cum ipsi veniri usū, professus est se Christianum, et voluit sacro fonte intingi, quo munere persuasus est Remigius, Remorum Archiepiscopus, Turonensis lib. 2. cap. 31. cum quo conf. Chronicon Carnutense anonymi, ex eoque Iohannes Tilius comment. de reb. Gall. lib. 1. in Clodovaeo I. Non est, ut hic coarguatur fabula, quam Hincmarus Remorum aevo Carolingico Archiepiscopus, aliquot post Remigium seculis tradidit, ignotam temporum Merovingicorum scriptoribus, ignotam Turonensi, alioque in fabulas priori, et veris monumentis in solidum contrariam: Haud dubie affectatione quadam singularis dignitatis, quae eo pacto Ecclesiae Remensi accessum esset, confictam. Conf. Io. Jac. Chiffletius disquisit. de ampulla Remensi.

runt, et alii post alios in unum nomen societatemque cum populo Christi coaluerunt. Burgundionum recordatio eo mihi nunc sane est iucundior, quod pro ea necessitudine, qua Clothildis Francorum genti coniuncta erat, religioni proferendae, quam posset, operam navaret, magnopereque cuperet, et hortaretur Clodovaeum, daret Christo nomen, et vera pietate mansuetudineque imbui sese pateretur. Quod postea ex Clothildis sententia factum est, quam Clodovaeus expectatione voti, quo se contra Alemannos pugnans obligaverat, minime frustratus, prosperam spei praelii exitum comperit, eaque adeo ipsi causa fuit, cur dignum religione animum profiteretur. A quo tempore Franci, quibus Clodovaeus illustre exemplum tradidit, perpetua serie reges Christianos habuerunt, et summo studio pietateque venerati Deum, sanctissimae possessionem doctrinae constanter retinuerunt. Nisi quod ea diligentia, regnante Clothario III. obsolevit ferme ac evanuit, cum regibus in luxum versis, foedi mores incesserent animos, et literas religionemque foedarent. Donec Carolovingi regnum socordia prostratum, paene ac perculsum instaurarent, et Saxones, indomitos ante populos armis mitigarent, et vitam moresque eorum Christiano ritu fingerent atque expolirent. (d) Cuius rei memoriam conservant annales, et mutatam in melius

(d) V. annal. Franc. ann. 785. annal. Pith. Adelmus Benedictinus ann. eodem: Eginhartus de vita Caroli, M. cap. 7. Diploma Ecclesiae Osnabrugensi ann. D CCCIV.

concessum, in quo primordia Saxoniae politionibus literis excoltae intuemur, et prisci commutationem moris aestimamus merito et miramur. Praeterquam autem quod serio diligenterque Graecam Latinamque linguas ibi doceri voluit iusque, incubuit etiam in ornandam linguam Germanicam, cuius formae literarum iam antea quidem extabant, ut legenti historiam Turonensis licet observare, lib. 5. cap. 45. sed operi institutoque Caroli M. plus nitore ornamentique pro captu eius aevi accessit. Quod induxit Alcuinum, ut cum Grammaticae doctorem artis appellaret. Conf. Vrspergensis, qui commemorat inchoasse Grammaticae patrii (Franco-Teutonici) sermonis, quod ex eo cum alius repetit Abbas Stadenfis. Caeterum diplomata, quae sermone Teutonico scripta eius nomine tituloque circumferuntur, nullum praesidium habent veritatis apud viros antiquitatis et veteris Franco-Carolingicae reip. intelligentes. Ac primum eorum, quod verum quidem atque incorruptum ego viderim, charactere Germanico exaratum ann. MCCXXXVI. promulgavit Fridericus II. Imp. quod recte et instrumento pragmatico, quod hodieque superat, convenienter signavit Gothfridus Monachus annal. ad d. ann. VI. vero non sit consentaneum, quod tradidit Ioach. Curaeus, primum huiuscriptionis Germanicae usum imperante Carolo IV. coepisse, annal. Siles. pag. 31. Quamquam non ignoro, eas tabulas, quae vulgo matricula imperii nominantur, vix reperiri antiquiores, quam quae ann. M CCC XXXI. Norimbergae emissae sunt in lucem. Certe enim nec antiquiores perquirere potuit Melch. Goldastus, de regn. Boh. lib. 2. cap. 17. Nil hic addo de origine et primis sedibus Francorum, de quibus vid. Trebellius Pollio in duobus Gallienis, post hunc Flavius Vopiscus in Aureliano, Ammianus Marcellinus, Iuliani imp. miles, et Franciae cum primis gnarus, lib. 17. qui prodit, etiam Salios fuisse appellatos, quod nomen undenam impositum fuerit, valde inter se disceptant scriptores, V. Io. Tilius de reb. Gall. lib. 1. p. 8. Io. Iacob. Chiffletius vind. Hispan. c. 5. Aub. Miraeus annal. Belg. pag. 52. Quod est nunc persequi mihi non est propositum, tamen colligo ex indubitatis monumentis, primas eorum sedes fuisse in ora inferiori trans-rhenana, V. Procopius Goth. 1. Greg. Turon. 1. 2. cap. 31. ubi Clodovacus dictus est Sicamber, neminem autem fugit, Sicambros coluisse tractum inferiorem transrhenanum, quod vel Sidonius epigr. ad Maiorian. possit indicare. Affermat sane Iohannes Trithemius, Francorum reges antiquitus in Tungrorum (quos vulgo cum Thuringis confundunt) finibus habitasse, compend. annal. pag. 27. Postea autem mutarunt sedes, et Galliam, Romanis eieclis, subegerunt, regionesque ad superiorem Rheni ripam sitas, ac a Moeno ad Vnstrutum porrectas possederunt, indicio natalis Caroli M. quem diploma Fuldense a Christophoro Brouvero vulgatum memorat prope Vnstrutum fuisse.

Saxoniae faciem veris auctoribus confirmant, usque eo, ut collapsis Carolingorum rebus, Saxoniae Principes ad libertatem excitati, eandem viam insisterent, et non magis de republica, quam cultu ingeniorum cogitarent, atque hunc Albis tractum, quem etiamnum colimus, Sorabotum dominatione oppressum, sua et imperii causa in libertatem vindicarent. Etenim

plu-

plures, quum Augusti Ottones (e) orti stirpe VVittekindi Principes superiorem Albis provinciam nominis rerumque gestarum fama impleverunt, et Saxonum velut per coloniam huc missorum habitatione insignem, aggeribusque validam reddiderunt. Quorum posteris haeredibusque vita functis, in universo Saxoniae Ducatu succedere Billingani: partem enim, quae cis Albim inferius iacet, et eam, quae trans Albim ad Eidoram usque por-

(e) *Helmoldus Chron. Slav. lib. 1. cap. 88.* has terras, inquit, Saxones olim inhabitasse feruntur, tempore scilicet Ottonum, ut videri potest in antiquis aggeribus, qui congesti fuerant super ripas Albiae in terra palustris Balsamorum, sed praevaleantibus postmodum Slavis, Saxones occisi, et terra a Slavis usque ad nostra tempora possessa. *Describit enim terram Albi irriguam, et a Marchia, quae in ditione Marchionis Alberti Vrsi Saxoniae ducatum tunc affectantem erat, usque huc porrectam, et colonia Belgica, quae adiacentes huic oppido vicis implevit, nobilitatam, ut eodem loco asseverat Helmoldus, scriptor praeclarus ac diligens, et quod rei caput est, testis oculatus.* Non aliter ea de Belgarum in has oras professorum colonia commentati sunt *Ianus Doufa, Nobilis Belga, annal. Holland. lib. 6. p. 265. Petrus Bertius Comment. German. lib. 2. c. 12. Ludovicus Persona patria VVittebergensis, professione Iurisconsultus, in oratione de VVitteberga ann. 1598. habita, et ann. post 1607, praelo excusa, ac Goldasto cumprimis laudata, quippe quae de antiquitate oppidi patri bene est meritis, nisi quod incaute in eadem scripsit, Duces Saxoniae atque Electores VVittebergae investituram (iuris inaugurationem beneficiarii) accipere ab Episcopo Bambergensibus. Non enim ab Henrico II. castrum electorale ipsum, quod dicitur VVitteberga, Episcopo Bambergensi lege beneficiaria obnoxium reddi potuit, cum verae atque indubitatae eius oppidi origines non ante coeperint, quam cum Ducibus Ascanis, qui Slavos, nominatim Sorabos, quos intelligit etiam dicto loco Helmoldus, post tempora Ottonum, VVutikindeae gentis Imperatorum, inter tractum Albis et Salae rerum positos, ex his sinibus exegerunt atque deleverunt. Aevo enim Carolingorum, quo floruit VVitekindus M. neque Saxoniam, neque Soraborum regio urbes habuit, quod verissima monumentis potest demonstrari, ac imposterum debet, ut inter historiam, et leves conjecturas ingenique lusus discernatur. Cuiusmodi inveniuntur apud Pirekheimerum, virum alioqui doctum, et Matthesium, qui vulgo non impie quidem, sed non erudite vicorum circumiacentium nomina ex Palaestina adferunt, et frigidae, cum de historia agitur, accommodationis exemplum produnt. Illud vero est extra omnem controversiam, nomina Nimeck, Bruck, Ipern, et similia ab advenis Belgis esse imposita, neque vane docent Persona, et Balthasar Mencius in orig. et stemmat. Ducum Sax. in Kemberga conservari hodieque memoriam Camenici (Kamerick) facta, ut saepe alias observavimus, literarum commutatione. Praeterea vetus Flemingiae nomen, quod etiamnum in vicinia superest, traductam illam ex Belgica coloniam ab oblivione potest vindicare.* Vid.

Vid. Helmoldus d. l. In reliqua huius argumenti parte, qua VVittebergae antiquitas porrigitur ultra Ascanios, ingenue Georgius Fabricius, ab incomparabili historico Caspate Peucero doctrina rerum Ascaniarum, in qua iste quidem prae omnibus Saxoniae scriptoribus excellebat, imbutus consuetur, non constare sibi, a quo VVitteberga aedificata fuerit, scire tamen, ante FridERICI AENOKARBI tempora nullo monumento, nullis tabulis, nullo codice commemorari VVittebergam, Saxon. illustr. lib. 9. p. 114. Quod sane verum est, omnibusque notum, qui accuratas historiae rationes tenent, neque dissimulat Persona, opiniones, quae in eam rem adferuntur, certis historiae fundamentis non esse innixas. Neque ad praesidium huius causae valet Hermannus, quem allegat Franc. Irenicus Germ. exeg. lib. 12. col. 227, id vero citra ullam dubitationem ex dictis sequitur, VVittebergam, quae aevo Henrici sancti nondum condita fuit, non potuisse iure beneficiario Antistiti Bambergensi devinciri, eo magis, quod ne tunc quidem ullus in Germania electoratus fuit, atque adeo VVitteberga, si maxime etiam tunc fuisset, non potuit esse civitas electoralis. Tum vero officia imperialia, quae longe post institutis electoratus accesserunt, non sunt confundenda cum territoriis, propter quae conveniunt, et in quibus haerent ipsa ac fundantur. Neque sum nescius, veris monumentis non posse probari, quod Electores auspicio Henrici imp. beneficiario officiorum nexu (nam de electoribus per se res est manifesta) Ecclesiae Bambergensi obligentur.

rigitur, dudum ab Ottone M. Hermannus (f) eius conditor stirpis acceperat, Princeps belliaribus praeclare cognitus atque illustratus. Billinganos, quibus hoc nomen decusque additum ab Hermannus est, excepit Lotharius II. genere Supplinburgius, beneficio Henrici V. Saliqvorum ultimi nova dignitate tituloque auctus, et ob egregia erga ipsum remque publicam merita Dux Saxoniae inauguratus, qui postquam dignitatis augustae particeps est factus, Henricum Catuli filium, stirpe Gvelfum (g), quem posteritas superbi cognomine distinxit, in ordinem Ducum allegit, et in Saxoniae possessio-

Ssss

fessio-

(f) VVitichind. Corbei. annal. Sax. 1. p. 16. Adamus Bremensis lib. 2. hist. Eccl. cap. 4. qui cum vehementer laudat, nisi quod perperam tradit, obscuro loco fuisse natum. Quod secutus est Abbas Stadenfis. Is Luneburgi sedem habuit, arce ibi ab se condita celebris, fuitque in eius ditone Saxonia transalbina, tractus autem VVittebergensis a Sorabis repurgatus cum cetera Saxonia ab Ottone I. Imp. qui Hermannum creavit Ducem, est retentus, Cranzius Saxon. lib. 4. cap. 16. Ineptiunt autem, qui arbitrantur, hunc primum fuisse Saxoniae Ducem.

(g) Helmoldus Chr. Slav. lib. 1. cap. 35. Albertus Stadenfis ann. 1136. Comitatus Nordalbingiae attributus est Adolpho Schovvenburgico, Helmold. eodem lib. cap. 36. Quo pacto Saxonia inferior cis- et trans-albina, quae sub Billinganis iunctae erant, post sunt divisae.

sessionem misit, ac sancto solenni que ritu confirmavit. Cuius filius, Leonis nomine passim dictus (b), tantam potentiae fortitudinisque opinionem sibi conciliavit, ut omnium animos futurorum eventuum expectatione, suspensos teneret, imperatorique Aenobarbo suspectus post fieret, atque tam invisus, ut iudicaretur excidisse iure dignitateque Ducis, et publica proscriptione multaretur. *Vid. Otto de S. Blasio cap. 24. Arnold. Lub. Chr. Slav. lib. 2. cap. 24.* Quibus rebus Saxoniae Ducatum permisso ac beneficio Aenobarbi consecuti sunt Ascanii, et Sorabos, vario contumacique ingenio populum, ex terris his cis et trans Albim sitis expulerunt, ac ut auctor est Helmoldus, Belgas a Mosa Rhenoque accitos, in haec saltuosa irriguaque loca receperunt, qui prompti et frequentes adventarunt, terrasque suas sub id tempus Oceani eluvione merfas cum vicino agro vicisque proximis commutarunt, et plerisque nomina, quae ad hunc usque diem usu et sermone hominum firmata retinent, imposuerunt. Quod eo minus praetermittendum fuit, quia huius laudis navataeque operae initium ad Albertum Vrsu pertinet, qui praeterquam quod hanc provinciam, quam Conradi III. Caes. (*Vid. Helmold. Chr. Slav. l. 1. cap. 54. et supra alleg. cap. 88. Dodechini app. ann. 1139.*) concessione belli que titulo adeptus fuerat, nova colonia replevit, viam quoque ad Saxoniae Ducatum affectabat, quem primo eius Filius Bernardus auspiciato obtinuit, et sedem atque domicilium in hoc loco collocavit, oppidumque hoc condidit, et aulae gloria auxit, Princeps gente, animo, factis maximus, et Friderici Aenobarbi socius adiutorque multis magnisque rebus clarus atque celebratus. Anni enim sunt quadringenti nonaginta quinque, cum Aenobarbus de communi Principum consilio atque sententia in Comitibus Herbipolensibus statueret, Leonis audaciam legibus esse coercendam, et hoc unum ingravescentibus malis atque publicis turbis remedium fore, ut Leo perduellionis damnaretur, et Baioariae pariter ac Saxoniae Ducatu privaretur. Quapropter instructa accusatio est, Leonem fiducia virium elatum, et tot ac tantis Principibus innixum, non permansisse in Imperatoris fide, et leges iudiciaque simul contempsisse atque violasse. Nec profecto plane innoxius Leo fuit, et Aenobarbus eius opprimendi quaesitam multo ante occasionem libentissime arripuit, cuius acerbitas atque capitale odium in posteris non inultum fuit. Atqui vero haec materia crescendi suppeditata est Bernardo, nepoti Ottonis Ascanii, atque Eilikes, filiae Magni, ultimi Billingorum, qui Saxoniae

(h) In historia Henrici Leonis vid. Monachus VVeingartensis de Gwelfis, Gerardus Praepositus Stederburgensis de Henrico Leone, Reicherspergensis Chr. ab ann. 1156. Alb. Crantzius Sax. lib. 6. cap. 30. 35. seq. Historia Agilolfingica Bucelini p. 414. conf. diss. fniente ann. 1675. de Henrico Leone habita.

niae cum civili imperio praefuerant, Ducis. *Vid. Abb. Stadens. ann. 1137. Meibom. vind. Billing. pag. 305.* In quo curriculo gloriae altiorisque partae dignitatis ita versatus est Bernhardus, ut neque deflecteret temere, et maioris accessione honoris, novorumque rutae insignium, et proprio ac perpetuo officio munereque Praefecti Praetorio atque *Archimarschalli*, ut nominant, ornaretur. Quod non fortuna magis, quam prudentia consilioque est consecutus, et sedem hic atque domicilium primus habuit, et quicquid usquam egregium reperire potuit, huc transtulit, atque Lovvenburgum Saxoniae transalbiniae oppidum, quod deleverat Leo, a ruinis instauravit quidem, sed VVittebergam duntaxat nostram aula excoluit, et praecipue amavit, atque praesentia sua nobilitavit. Eius filius Albertus I. non minori vigore animi res gessit maximas, et eo loco numeroque fuit, ut Friderico II. Conradoque III. extinctis, cum res ubique spectaret ad motum, et Germania infelici interregno confisteretur, forti animo sustineret invidiam, et componendae pacis causa primus cum paucis crearet Caesarem, (i) et Septemvirum ordini haec daret auspicia, et permetteret Helenae coniugi, ut strueret Franciscanis templum, et consecraret religionibus, et sepulchro designaret locum. Nihilo fecius Albertus II. honorem atque salutem imperii tutatus est, et quatuor Caesares Rodolfum Habsburgium, Adolfum Nassovium, Albertum Austriam atque Henricum Luzelburgicum suffragio suo ornavit, et primo omnium dignitatis septemviri robur firmamentumque in tabulis Caesareis habuit. Praeterea novum atque summum decus Saxoniae adiecit, et Palatinatum, quem a Saxonia Cisveserana abalienaverat Aenobarbus, feliciter recuperavit, atque cum Burggraviatu Magdeburgico, qui tunc apud Schrapelanam gentem esse desiit, instituto Rudolphi Caesaris, cuius gener erat, coniunxit, et postquam tot atque tantas res ex animi sententia conferat, in Franciscano, quod dicitur, monasterio a matre condito, primus inter Duces Saxonicos Septemviri iure praeditos tumulo illatus fuit. Rudolfus I. et II. auctoritate sua Caroli IV. imperium firmarunt, et mores atque disciplinam Saxoniae legibus emendarunt, ac fidem atque diligentiam Imperatori sic probarunt, ut cum multis monumentis commendata sint, tum publi-

(i) Anno MCCXLVI. Henricum Thuringiae Landgravium in illo temporum motu conversioneque Teutonicae reipublicae primus elegit cum Archiepiscopo Moguntino, Coloniensi, & Principibus imperii officialibus, quos signat Albert. Stadens. ann. 1240. coll. cum ann. 1246. Quod perperam et praeter rationes Synchronismorum Alberto II. Ascanio tribuunt Fabricius in *Elect. Saxon. pag. 16.* Balch. *Mencius or. Ducib. Saxon. in eodem.* Nam Stadensis scriptor illorum temporum eoque omni exceptione maior, Henricum Landgravium ann. 1246. electum, &

1247. extinctum tradit. *Quo tempore Ducatus erat penes Albertum I. Ascanium primum anno 1260. mortuum, ut consentiunt scriptores rerum Ascaniarum. Electionis autem ad paucos atque imperii officiales redactae, et una legitimae turbarumque expertis, et post Rudolphi Caesaris diplomate firmatae munus primo administravit Albertus II. vel ideo memorandus, quod cum caeteris Principibus profanis ius designandi suffragio imperatoris recens adeptis, filiam eius comubio iungendam pacisceretur, ut colligitur ex Alberto Argentinesis Chron. p. 100. Equidem tradit Alb. Cranzius lib. 9. Sax. cap. 19. neminem inter Duces Saxoniae elegerit (imperatores) ante Rudolphum (Saxo-Ascanium, eius nominis in hac serie I.) attributam eam dignitatem (Electio Saxonici) Quod multo aliter se habet, cuiusque documentis liquet, Rudolphum Austro-Habsburgium ab Alberto II. electum fuisse. (Vid. Vet. Chron. Sax. ann. 1273.) Testis enim est Albertus Argentinesis, Rudolphi Caesaris electioni interfuisse Ducem Saxoniae. Atqui is erat Albertus II. quoniam Rudolphus ne quidem elegit Guntherum Svarzburgicum, quippe qui ab Erico eius fratruum electus fuit, Argentin. p. 100. et 150. collat. Neque certius est, quod scribit Cranzius ibidem, Archiepiscopos longo tempore non evocasse Principes seculares. Conf. Conradus Episcopus Chron. pag. 575. Quamquam enim fateor, auctoritate praecipua polluisse Archiepiscopos, inprimis Moguntinum et Coloniensem (hunc enim Paris sacri imperii Protocancellarium nominavit) illum vero tanquam Germaniae Archicancellarium, ratione cuius dignitatis munere convocandi fungitur, atque eo iam diu ante, quam electio ad septem Principes redigeretur, functus certe est, auctore Frisingense de gest. Frid. I. cap. 16. (Erat enim illo tempore eruditio exiguis monasteriorum sinibus comprehensa atque conclusa, ut soli Clerici intelligerent literas atque reipublicae instituta, et idonei sane essent administrandis togae officis, et fungi duntaxat possent munere Cancellariorum, de quibus etiam Lotharius I. Imp. sanxit in Capitulari, in curia (curte) Olona promulgato, quod superiori anno 1675. a Carolo Dato Florentiae erutum, brevis a Stephano Baluzio, viro in rebus Carolingicis versatissimo illustrabitur.) Vt non satisfaciat Melchior Goldastus rer. Alemann. Tom. 2. part. 1. p. 4. dum existimat, illud Archicancellarii, sive ut antiquitus dictum est, Archicapellani munus primum per sanctionem Karolinam, sive Auream Bullam Archiepiscopo Moguntino proprium esse factum. Et enim non est simile vero, Archiepiscopos, licet praepollenti auctoritate praeditos, non evocasse imperii officiales, tanquam inter seculares praerogativa officiorum imperii maxime conspicuos. Propterea non ignarus huius rei fuit Pontifex Innocentius IV. cum electionem Caesaream decreto publico, quod tamen reiectum est, ad septem Principes redacturus, cum primis Bavarum et Saxonem nominasset, Matthaeus Paris ann. 1245. Neque aliam ob causam improbat est electio Wilbelmi Hollandi, quam quod in eius partem non venissent Bavarus et Saxo, quibus non tam propter Palatinatus (Rhenensem et Saxonicum) quam propter ducatus Bavariae et Saxoniae ius eligendi primo est acquisitum, si diploma ann. 1275. Augustae 15. Mai. promulgatum veris rationibus atque*

argumentis aestimatur. Constat enim utrumque palatinum Ducatibus, iam tum iure eligendi praeditis accessisse, eoque accurate secernendos esse, cum de ultima septemviralis suffragii origine quaestio instituitur. Verum enimvero plenaque Alberti II. Ascanii, ad quem praecipue haec animadversio pertinet, diplomata manuscripta venerunt in manus meas, quibus et curiae usus, et seculi eius indoles possunt ostendi. Certe diu ante saxum hoc voluerat Pontifex, ut Electores sua duntaxat auctoritate arbitrioque instituerentur: at resisterunt invicta constantia Principes, ut liquet ex actis Concilii Lugdunensis ann. 1245. Neminem enim latent molitiones Gregorii IX. apud Albertum Stadensem anno 1240. Innocentii IV. apud Monachum Paduanum Chron. lib. 2. pag. 591.

cis Caroli IV. tabulis, quae etiamnum in arce huius oppidi superant, nota, testataque redderentur. Inprimis Rudolphus II. de posteris bene est meritus, et pari cura rempublicam, et ritus ceremoniasque maiorum curavit, ac rectissima voluntate primarii templi fundamenta hic iecit, et ratione atque virtutibus optimis iter ad gloriam est ingressus. Eandem laudem et comparavit sibi et servavit Venceslaus, (k) titulumque novi accessione tituli auctum usurpavit, et ius atque dignitatem Ducatus Lüneburgici armis asseruit, propterea quod is a Carolo IV. Imper. Alberto Ascanio, Ottonis filio, nec multo post eius Patrueli Rudolfo II. fratri uterino Venceslai, lege beneficiaria impertitus, et siquidem iste sine liberis forte decederet, hic in succedendi iure confirmatus fuisset. Vid. Vet. Chron. Sax. pag. 347. 369. 376. ex eoque Chron. Brunsvicensis H. Bunting. p. 248. 250. conf. Spalatin. chr. pag. 42. Menzius in Rudolf. II. Sed posteaquam hic multis casibus defunctus, et diu multumque in castris versatus, telo ictus paulo post diem obiit, Rudolfum III. atque Albertum III. magni animi consiliique Principes in Ducatu Saxoniae ac Septemviratu successores habuit, sed illi liberos aut morbus, aut casus eripuit, huic sterile matrimonium conrigit, demum pari uterque pompa, alius post alium compositi hic, cineres atque ossa sua VVittebergae reliquerunt, aut reddiderunt potius atque dedicaverunt. Vid. Bald. Menzius svtagn. epitaphior. VVitteberg. Persona in laudata oratione, Georg. Eabr. in El. Sax. Vix autem Alberto III. parentatum erat, quum multi Principes spes animosque in Saxoniam convertebant, praecipue Ericus Lauenburgicus obtendebat necessitudines, et

Ssss 3

peten-

(k) Tabulae eius, in quibus scribitur Angriae, VVestphaliae Saxoniae et Lüneburgi Dux, haecenus sunt ineditae, constatque mihi ex diplomatis sequiorum temporum Ascanios adhuc XV. seculo stirpi ipsorum fatali, eum ticulum servasse, ut vidi in membranis Rudolphi III. Esti mortuo Venceslao Duce atque Electore, Ducatus ille insolitum repetitus, atque iure belli a Friderico & Henrico Ducibus vindicatus fuit. Bunt. Chr. Brunf. pag. 263.

petendo instabat, Caesarisqve aures obtundebat, neqve sic tamen voti compos est factus, propterea quod Fridericus bellicosus, Princeps quoad vixit, in honesta imperatoris obsequia commodaqve intentus, prensante Lauenburgico, potior meritorum dignitate esset, quippe qui bello Husfitarum impensas fecerat maximas, et suscepta contra eos expeditione, multis ac difficilibus casibus iactatus, vitam patriae caritati posthabuerat, ac propter pericula imperii causa adita, cicatrices atqve vulnera ad suam satisfactionem non valitura esse per se ipse satis intellexerat, atqve eo monuerat iuxta et petierat, uti imperator et Principes haec aestimarent recte atqve considerarent labores suos, et quum eorum nomine ratio sufficientis satisfactionis constare sibi debebat, hoc duntaxat meritis suis rependerent praemium, quo apud posteritatem ab aliis, praesertim a Lauenburgico, distingveretur. Sed vero etiam magnam pecuniae summam, quam Fridericus Septemvir Brandeburgicus in rationem induxerat, ex asse reddere, atqve impendia solvere omnia, et sumptibus, quos ille in conservatione huius castri, donec lis iudicaretur, collocaverat, omnino satisfacere, et provinciam hanc, afflictam alioqui et temporum conditione miseram, et communi imp. Sigismundi Principumqve decreto fibi iam attributam, novo suscepto onere pacisci ac redimere, priusquam traderetur, necesse habuit. Quae dum attingo, et paulo, quam constitueram, longius persequor, possem una, quod multi et graves scriptores faciunt, a vetustate stirpis atqve ultimarum necessitudinum repetere argumenta atqve idoneas rationes, quibus et praerogativam generis, et iuris Friderici demonstrarem, nisi ab hoc proposito alienum esset, atqve alias constaret. (1) Nunc enim brevitatem amo, et tantum summa laudum capita confector, nisi quod ad eius gloriam adiicere debeo, primum fuisse, qui regionis suae fines Academia ab se condita illustraret, et exemplo doceret, quanta ex ea commoda ornamentaqve in rempublicam proficiscerentur. Quae famae celebritate cum nomen consecutus esset maximum, tum apud posteros eius recordatio valuit, et Fridericum III. Sapientem sic accendit atqve inflammavit,

(1) *Fontes iuris sunt in diplomate investiturae ann. 1425. Budae dato: in rescriptis Sigismundi Imp. ann. 1426: 1434. formula, sive ut dicitur, contestatione ad concilium Basileense ann. 1430. Conf. Petrus Albinus Chron. Misn. Balb. Mentius et Wolffg. Craus in Friderico bellicoso, ubi sunt exempla dicti investiturae diplomatis, G. Spalatinus Chr. Sax. p. 35. ex ICTIS Lud. Persona, And. Knichen, novissime Iohannes Strachius diss. II. p. 322. seqq. ut non sit, cur iniuriam alleget Alb. Crauzius lib. 9. Sax. cap. 19.*

mavit, ut in Saxoniae hoc limite (*m*) literarum religionisque sedem collocaret, avitaeque imitatione laudis praemia eruditis constitueret, atque Academiam hanc quasi campum exercendae industriae aperiret. De quo laudabili instituto nil mutavere successores; et similem plane voluntatem atque studium ad ornandam Academiam, amplificandasque fortunas attulerunt. Cumque postea bello Smalcaldico, et vehementibus perniciosisque disidiis Academiae rationes conturbatae essent, DEVS immortalis afflatu suo excitavit Augustum, qui et Academiam prope everfam instauraret, et sacra a maioribus emendata conservaret, et pro sua erga patriam charitate provideret, nec corruptelis depravarentur. Neque eo secius allaboravit IOHANNES GEORGIVS I. cuius quam magnum et memorabile bello tricennali nomen, tam paterna semper propensaque voluntas erga hanc Academiam fuit, ut qui oppidum hoc in ruinis iacens, velut de integro firmaret, et vallo aggereque communiret, atque hoc studium, hanc diligentiam perpetuo adhiberet, ut tuta literis sedes hic praestaretur, et quod mirabitur posteritas, republica, etiam afflictissima, dignitas huius Academiae conservaretur. Quem morem exemplumque a Divo Patre traditum etiamnum servat Potentissimus Princeps Elector IOHANNES GEORGIVS II. ac toto animo huc incumbit, et vult iubetque, ut quae cum ad animae salutem, tum quae ad vitam moresque et veram solidamque eruditionem pertinent, pro suo quisque officio doceant fideliter ac discant praemia expectaturi, quorum fructus magnus atque luculentus est futurus.

(*m*) Saxoniam primo a Carolo M. ad humanitatem mitigata, atque in dioeceses Episcoporum distributa est, positus in illustri monumentis, quae etiamnum supersunt, et docent, eius auspicio universam illam gentem ad literas et sacra esse excitatam. Eo spectant duo capitularia de partibus Saxoniae promulgata, quibus rem Ecclesiasticam per Saxoniae provincias ordinavit: nec non diploma supra a me commemoratum, quo Ludovicus Osnabrugae aperuit, ut conspectius exemplum esset, et Saxonum iuventus ad religionem optimasque artes informaretur. Ludovicus, paternae aemulus pietatis, Corbeiae ad Visurgim ornavit Saxonum studia, et instituta ibi schola propagavit, magno rei literariae bono, propterea quod priores quinque annuum Taciti libri illic reperti fuerint, perituri alioqui, nisi Monachi Benedictini conservassent. Vid. Abb. Stadenf. ann. 826. Henr. Meibom. praefat. in Vitichind. Boxhorn. hist. universal. pag. 467. Nec tantum iuris Ecclesiastici, sed etiam civilis ac profani cultum accepit, eamque ob causam conventus iuridicus apud Visurgim monumentis Carolingicis celebratur, quem ibi Hludovicus II. Imp. habuit, legesque Saxonum emendavit. Vid. eius decretum ann. 850. Postea Paderborna studiis dicata est, quae maxime floruit aetate Lotharii II. Hermannus magistro, cuius industriam praedicat Stadenf. ann. 1133. Nondum vero tunc in Germania

mania ius Iustinianicum usu tractandoque cognitum fuit, neque Philosophia Aristotelea in Franciae Saxoniaeque scholis effloruit. Quod ut mihi persuadeam, facit auctoritas Radevici, qui commemorat, Ottonem Frisingensem libros Aristotelicos in Germaniam intulisse, lib. 2. cap. 11. de gest. Frid. Quos seculo XIII. Henricus Brabantinus a Thoma Aquinate rogatus, ex Graeco in Latinum convertit, Iohan. Aventinus lib. 7. annal. Boi. p. 566. In Misnia Merseburgum diu ante Lipsiam enituit, et antiquissimum Sallustii codicem ab iniuria temporum vindicavit, quem in pergamenis descriptum a Georgio Fabricio accepit Iohannes Rivius Atthendoriensis, quem et scriptores alios Romanos Monasterium Benedictinum conservavit, quae magna eius ordinis laus est, quod in barbarie superiorum temporum vetustos pariter codices, atque artium studia et liberales disciplinas diligentissime custodivit. Dehinc Lipsia doctrinae sedes facta est, eo maiori Misniae ornamento, quod anno supra millesimum quadragesimum nono domicilium Academiae ibi est collocatum. Sed nondum tunc literae, monachorum sordibus inquinatae, nativam faciem ostendebant, usque dum Rudolphus Langius, et Rudolphus Agricola capaci ingenio Viri resflorescentes in Italia Graecas Latinasque literas perciperent penitus, et in Germaniam transferrent. Hi autem anno 1460. studiorum causa in Italia versati sunt, et postea reduces dissiparunt superiorum temporum barbariem, Germaniamque novo exemplo illustrarunt. Vid. Guilielmi Ducis Curlandiae edictum in funere Henrici a Dorgelo, ubi egregia et huc pertinentia traduntur. Dav. Chytraeus Sax. p. 80. Praefecto meliores literae cum primis ex Monasteriensi schola Westphalorum allatae sunt in Misniam, propterea quod Iohannes Rivius, qui ex disciplina Rudolphi Langii in Misniam profectus, magnam ei provinciae laudem editis passim repurgatisque scriptoribus, laudem conciliavit. (Vid. Chytr. p. 81. conf. Oratio Lucae Bacmeisteri de Luca Luffo, Urbano Rhegio et Hermanno Tulichio habita.) Ante eum nemo in Misnia fuit, qui aut pares in optimis studiis progressus fecisset, aut plures ac praestantiores doctrinae suae alumnos atque admiratores habuisset. Quamvis Philippus Melancthon summa fama auctoritateque Vir, et Ioachimus Camerarius fere caliginem ei induxerunt. Recte affirmat Caspar Hofmannus, Virum incomparabili iudicio Melancthonem studia revocasse ad fontes, et ad methodum Aristotelis facilem expeditamque viam primo in Saxonia commonstrasse, in Orat. de barbarie imminente. Cuius rei cum voluntas, tum facultas defuit Monachis, licet otio atque omnium rerum copia abundantibus, quos merito pungunt Ulricus Huttenus, vir omnis peritissimus antiquitatis, et Desiderius Erasmus factura ipsius praecipue delectatus, ut cum primo-legeret, intelligens valere ad inertiam et pravos mores monachorum coarguendos, vice medici habuerit, apud Iosiam Simlerum in narratione de vita Henrici Bullingeri. Verum quae causa fuerit, cur Melancthon, quem Eridericus Staphylus vellicat inique et carpit, libros Aristotelis reduxerit in scholas, ac eo invitaverit adolescentes et confirmaverit exemplo, sciunt omnes, philosophiam turpi barbarie vitiatam non potuisse aliter instaurari, quam ut Aristoteles nitore Graecae

linguae, et rerum tractatione ordineque praestans, et iis libris, ubi vitam, mores remque publicam fingit, summum apud omnes nomen consecutus, et Platoni ipsi, cum in Academia desiderarentur, laudatus, ad usum pariter meliorem pristinumque statum revocaretur. Neque alia mens fuit virorum omnis aevi doctissimorum, Athenaci, qui πολυμαθέτατον, Ciceronis, qui Principem Philosophorum nominavit, Caelii lib. 23. cap. 22. Ludovici Vivis lib. 1. de tradendis disciplinis, Desiderii Erasmi in epistola ad Iohannem Morum, qui id agnovērunt pariter, atque testimoniis suis comprobarunt. Ipse Augustinus lib. 8. de civit. Dei cap. 12. praeclare de eo existimavit, et ingenium atque eloquentiam commendavit, quoniam imitatione Ciceronis semper Platonem excipit, non quia Aristoteles ingenio et rerum tractatione utilissimarum Platone inferior fuisset, sed quia is verbis sententiisque copiosior, ampliorem dicendi materiam sibi suppeditasset. Nemini enim non est perspectum, de Platone, ut refert *Vives*, dixisse veteres, Iovem si Graece loqui vellet, non aliter esse locuturum, quam Platonem. Haud tamen ita de laude Aristotelis ac de exquisita eius scribendi ratione detrahitur: rectus enim purusque est, praeterea elegans, brevis atque accuratus, et plane talis, ut philosophum utilia constellantem decet, praesertim ubi docet rhetoricen et civiles disciplinas, quibus longe vicit Platonem, et meruit, ut nostri superiorisque seculi sapientes vere meritoque arbitrarentur, ab Aristotele huius studii, quod postea usus exercitatioque adjuvant, primordia esse capienda, et antiquitatem elegantioresque literas, quae omnem aetatem ornant, cum disciplinis bene sapienterque coniungi, quod vel Iohannes Caselius, alter Germaniae Melanchthon, cuius & ipse auditor VVittebergae fuit, suo quemque exemplo hortari potest. Imo et huius instituti auctorem habeo atque laudatorem Iohannem Sturmium, virum eruditione meritisque summum, qui primus Alsatiae lumen atque ornamentum attulit, et Iohanni Sleidano populari, et rerum optimarum socio saepe atque adiutori scribendae historiae rationes atque consilium suppeditavit, & doctrina industriaque sua magnam cum primis laudem Argentorato conciliavit, ut eo ex omnibus terrae partibus consuerent homines, et Graecas Latinasque literas ex ipso discerent, atque alio propagarent. Vid. Iohan. Bleydner in vita Sturmii ann. MD XCV. Ambergae edita. Cuius cur hic meminerim, vel ea esse mihi causa potest, quod ordini quoque nostro provisum esse voluit, et ad Fridericum III. Sapientem, Academiae VVitteberg. conditorem, atque literarum in Saxonia felicissimum sane atque benignissimum instaunatorem de rebus gravibus, et ad salutem Academiae huius pertinentibus perscripsit, et non multo post Melanchthonem incitavit valde, atque in proposito laudabili eum confirmavit. Accepi veris profecto auctoribus, Melanchthonem dicere solitum, facile sibi esse scribere epistolas ad omnes alios, ad Sturmium autem difficile. V. Bleydner d. l. Quam laudem neque ulli alii, nec Erasmo tribuebat, quem sciebat alioqui Friderico III. esse percarum, et doctrinae antiquitatisque peritissimum, ac nominabat etiam praeceptorem, vid. lib. 5. epist. Erasmi pag. 251. optimae et antiquissimae editionis Frobenian. De caetero quam diligentiam adhibuerit, cum ver-

Saretur hic in emendandis literis, praeclare dudum a viris praestantissimis est consignatum, ac intelligi potest atque indicari, si stylus Afcantiorum Ducum diplomatumque hic et Prettini compositorum cum facie aevi Friderici sapientis, temporumque Melanchthonianorum comparatur. Neque haec duntaxat superior Saxonia, sed inferior quoque, et occidua cum primis erigebatur in spem ipsius adventus, cuius significationem dabit Hermanno Antistiti Coloniensi, apud Camerar. in vit. eius Lipsiae edit. pag. 217. Meliori eius regionis fato, atque olim fuit, ubi Bruno & Poppo ob sapientiae studium, quo nullum est neque utilius, neque dignus, in ius vocati, et rudi aevio inique accusati sunt, apud Detmarum Merseburg lib. 2. p. 26. edit. Maderian. Finio hic, & monito S. Basilii, cuius lectione olim delectabatur Caselius, libenter acquiesco. καὶ ποιηταῖς καὶ λογοποιῶν καὶ ῥήτοσι καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν ἀν μέλην πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφέλεια τις ἐστὶν.

XLVIII. FRIDERICVS III. SAX. ELECT.



Onsilium mihi est commemorare de FRIDERICO III. Saxoniae Duce atque Septemviro, Principe Sapiente et fortunato, ac profusus tali, qualem superiorum status temporum requirebat. Cuius virtutes ita cognitae sunt et passim exploratae, ut scribendi argumentum praebuerint Paulo Langio Monacho Citizenensi, Philippo Melancthoni Germaniae Praeceptorum, Desiderio Erasmo instauratori literarum apud Belgas, et merito, ut esset inter Caroli V. Consiliarios, Iohanni Sleidano Protestantium diligenti historico et fido, Georgio Spalatino El. Sax. Frid. a secretis, et Iohanni Elect. a sacris, et non modo in historia Saxonica, sed etiam in tabulariis multa cum industria versato, Georgio Fabricio, Petro Albino, Laurentio Peccensteinio, Augusti et Christiani I. et II. El. Sax. historiographis, Michaeli Boiemo, Balthasari Mencio, Didymo Faventino, Caspari Peucero, Matthaeo Dressero, Iacobo Augusto Thuano, Abrahamo Bucholcero, qui et praeclare de eo senserunt, et rectissime scripserunt. Martinus Lutherus, qui sub eius tempus Ecclesiae statum emendare divino auspicio aggressus est, sic de eo iudicat, ut plane existimet, non fuisse facile Principem, qui ei pietate ac benignitate praeferrere oporteat, apud auctorem descript. stemmatis Saxon. p. 186. ednf. Balch. Mencia de orig. Sax. in Frid. III.

§. II. Sed omnia eius acta iustis temporum intervallis distingvere, nec finit magnitudo Principis, nec patitur nostrum institutum, nunc enim nobis potis-